

Nettelblatt

-

De limitibus
inter
philosophiam
et
jurisprudentiam.

1737





EMERITATO EPISCOPALIA

LIMITIBVS

PHILOSOPHIAM ET IURISPRUDENTIAM

RESVLTANTE MAIESTATESSIMO
DOMINO


WILHELMO PETERO
STIMMELI,

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
PHILOSOPHIÆ ET IURISPRUDENTIÆ
SOLVENDI,

FACTORES ALES

NETTELBLADT
V. STVD.

BEROLINÆ, SERENISS. REG. & ACAD. TYPOG.





St. g. F. num. 13.
A. A.

6

DISSERTATIO EPISTOLICA,
DE
LIMITIBVS
INTER
PHILOSOPHIAM ET IURISPRV-
DENTIAM.



P. A.

QVA
VIRO MAGNIFICO,
CONSULTISSIMO EXCELLENTISSIMO
DOMINO
JOHANNI PETRO
SCHMIDT,

ICTO FAMIGERATISSIMO DOCTORI ET
PROFESSORI IVRIS PVBLICO ORDINARIO,
PATRONO AC PRAECEPTORI DEMISSE
COLENDO,

FASCES RECTORALES

A. O. R. CIS MDCCXXXVII, d. XXII, OCTOBR.
SOLENNI RITV TRADITAS
FELICES APPRECATVR
DANIEL NETTELBLADT,
PHIL. AC I. V. STVD.

ROSTOCHII,
Typis IOANN. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

F 2184



UNIVERSITÄT
MAGDEBURG

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

11





ET si satis audacter, parumque verecunde VIR
MAGNIFICE, PATRONE DEMISSE COLENDE,
facere videar, quod hasce plagellas TIBI sacras cupiam,
cum tamen nihil contineant, TVA dignum perulustratione,
certa tamen, TVA singulari nixu humanitate,
me tenet spes, TE lineolas hasce nihilo tamen se-
cius ea esse accepturum fronte, qua soles omnia, quae a dedi-
tissimis TVI NOMINIS cultoribus proficiscuntur, id est, se-
rena atque explicata. Cum enim hodie, quod felix faustumque
sit! insignia Rectoralia TIBI traduntur, quis est Musarum
alumnus? qui non ex eo insignem percipit laetitiam; ita &
praecipue ego cum tanta, erga TE, TVAMQVE FAMILIAM
SPLENDIDISSIMAM mea est observantia, quanta, quanta illa
esse, cum summa est, solet, magno perfusus sum gaudio.
Non potui igitur non, quin TIBI hoc, in imo pectore con-
ceptum gaudium, publice testarer; quoniam vero TVA non
permittit humanitas, vt merita TVA, & quam muneris novi
capax sis fungendi multis recenseam, mecum constitui brevi-
bus, & quantum vires permittunt, inquirere, in *limites inter
Philosophiam & Jurisprudentiam.*

§ I. Omnia quae cognoscimus vel ex ratione, vel ex revelatione sunt haurienda. Revelatio vero est vel divina l. humana. Ex hoc fundamento distinguitur omnis eruditio in divinam & humanam. Omnia ea quae ex revelatione divina nobis innotescunt, singularem constituunt eruditionis partem quae dicitur, *Theologia*. Ea vero quae per sanam rationem eruere possumus, generatim *Philosophiae* nomine insigniuntur. Quae vero ex revelatione humana cognoscimus, etiam singularem eruditionis constituunt partem, quae nobis *Historiae* nomine venit, & res praeteritas maximam partem respicit.

§ II. Prout vere omnes eruditionis partes commune aliquod vinculum habent, quo invicem cohaerent, & quo ab vno quasi capite ductas animantur; ita praecipue Philosophia cum omnibus eruditionis partibus est connexa, suppeditat enim caeteris principia generalia, ad ratiocinandum, de rebus ad facultates suas pertinentibus, & est fundamentum, cui caeterae Facultates sunt superstructae. Quanto itaque praestantius fundamentum est illo, quod illi superstructum, principium principiatio, eo minus etiam Philosophiam caeteris Facultatibus ancillari dici potest, id quod pluribus ostendit ILL. WOLFFIUS in Horis Subsecivis Marpurgensibus Anni 1729. Trimest. Brumal. Num. 3. cuius verba finalia hic adducere placet: *Quamvis enim propterea Facultas Philosophica, non satis commo sensu, ancilla Facultatum superiorum dicatur, quod ipsis praebeant principia, quibus quae parum sunt, & clariora sunt, adeoque ancilla appelletur, quatenus dominae alias in tenebris ambulaturae faciem praefert, ne forte labatur. Philosopho tamen perinde est, quocumque nomine quid appelletur, modo de veritate rei consistat.*

§ III. Sit huius rei quicquid sit, sufficit Philosophiam continere principia generalia reliquarum eruditionis partium, cum vero etiam Jurisprudentia specialem sibi vindicat eruditionis partem, illius quoque est principium, sunt itaque etiam limites inter has eruditionis partes; Haec sunt de quibus in *sqq.* pluribus agendum.

§ IV. Vi.

§ IV. Vidimus § II. omnia, quae ex sana ratione cognosci possunt, generatim Philosophiae nomine insigniri iam vero speciatim est indicandum, quid sit Philosophia? & respondeo cum ILL. WOLFFIO est: *Scientia possibilium quae talium.*

§ V. Scio equidem multa contra hanc definitionem mone-ri, quemadmodum etiam adhuc nuperrime Cl. M. CLAV-DIVS in peculiari Diff. sub titulo: *Singularia reformationis Phi-losophicae. Wolffiana de definitione Philosophiae habita Vitemb. A. 1737.* multis illam laborare vitiis variis, sed levibus admodum, ar-gumentis probare studuit. Cum vero tantum notiones, in hac definitione occurrentes, recte riteque evolvuntur, satis apparet illam ab omnibus vitiis esse immunem, *plerasque enim obiectiones ex eo profuxisse videntur, quod multi quid ILL. WOLF-FIVS per scientiam, quid per possibile velit intelligi, aut non potuerunt, aut quod proprius est fidem, noluerunt capere, sunt verba CeL. BAV-MEISTERI in Philosophia definitiva. P. I. § 4. Obs. I.*

§ VI. Per scientiam ILL. WOLFFIVS intelligit: *habitura mentis asserta sua ex principiis indubitatis, nexu syllogistico seu conca-tenato deducendi.*

§ VII. Possibile dicitur *quod nullam involvit contradictionem, neque ex parte rei producendae, neque ex parte rem producentis.*

§ VIII. Ad verba: *quae talium quod attinet, his non opus esse mihi videtur, quoniam vocabulum scientiae, hoc iam in-cludit, & tantum adiiciuntur, ut statim eo melius sensus defi-nitionis appareat.*

§ IV. Evolutis itaque, quantum paginae angustia per-mittit, notionibus, quis non facile videt, hanc Philosophiae definitionem, omni ex parte convenire, cum illa veterum: *Philosophia est rerum divinarum atque humanarum notitia, & causa-rum, quibus haec continentur.* Quid enim per res divinas & hu-manas aliud intelligunt veteres Philosophi, quam possible, & per causas res cognoscere nihil aliud est, quam indicare ra-tionem

tionem sufficientem, cur res ita sit, & non aliter, sive quod idem est, habere scientiam alicuius rei. Conf. Cel. BAVMEISTERI *Philosophia definitiva*. P. I. § 4. Obs. 2. Not. 7.

§ X. Si vires entis alicuius existentis quidem sufficiunt, ad effectum aliquem producendum, necessaria autem virium applicatio impeditur, vocatur haec Possibilitas vel Impossibilitas moralis. Ita e. g. Proximum occidere est impossibilitas moralis, vires quidem sufficiunt ad effectum hunc producendum, sed necessaria virium applicatio legibus impeditur.

§ XI. Quod moraliter possibile dicitur iustum, quod vero moraliter impossibile, iniustum. Et hic iusti atque iniusti conceptus non differt ab eo, quo iustum dicitur quod legibus est conforme; iniustum vero quod legibus est disforme. Quod enim legibus est conforme id etiam moraliter possibile, quoniam vires non solum sufficiunt, ad illud producendum, verum etiam applicatio non impeditur, & ita vice versa.

§ XII. Priusquam indicare possum quid sit Jurisprudentia praemonendum esse duco, duplici illam considerari posse modo, vel ita, vt per se est, quando abstrahitur a Philosophia, vel ita vt vulgariter sumitur, quando illam consideramus, tanquam coniunctam, cum Philosophia.

§ XIII. In priori sensu est: *Notitia terminorum quibus ICr² utuntur, & legum huius vel illius reipublicae*; & ita, prout quilibet facile videt, constituit peculiarem historiae partem, quae in eo praecipue versatur, vt inquiramus quibus legibus hic vel ille populus utatur, hoc enim ex sana ratione cognosci nequit, sed potius, ex revelatione aliorum est hauriendum (§ II.)

§ XIV. Quando vero in posteriori significato sumitur, definienda erit per: *Scientiam moraliter possibilem in hac vel illa republica.*

§ XV. Haec, quam de Jurisprudentia dedimus, definitio fere eadem est cum illa quam exhibet IMPERATOR in § 1. de I & I. quod sit: *Divinarum atque humanarum rerum notitia,*

notitiā, iusti atque iniusti scientiā. Verba initialia huius definitionis pertinent ad definitionem Philosophiae veterum § IX. quoniam vero per res divinas & humanas nihil aliud intelligi potest, quam possibile (§ cit.) patet cur loco harum vocum, in definitione suppeditata posuerim possibile: cum vero iustum & iniustum dicitur moraliter possibile & impossibile, (§ XI.) etiam ex hac parte, haec definitio cum priori convenit; moraliter enim impossibile, sive iniusti, in definitione etiam fieri mentionem, non opus esse iudico, quoniam quando scimus quid moraliter possibile, scimus etiam, vi oppositorum, quid moraliter impossibile. Verba in hac vel illa republica quidem non reperiuntur, in definitione quam IMPERATOR dedit, interim tamen illa necessario adiicienda esse mihi videtur, quoniam per illa praesertim Jurisprudencia distinguitur a Philosophia. Quicquid enim in genere moraliter possibile, ex Philosophia cognoscere possumus, quod vero praesertim in hac vel illa republica moraliter possibile, nemo ex Philosophia indicare valet, dependet enim hoc ab uniuscuiusque Legislatoris libero arbitrio.

§ XVI. Ratio est id unde intelligitur cur alterum fit.

§ XVII. Quod in se continet rationem alterius dicitur Principium; illud vero in quo continetur Principiatum.

§ XVIII. Si ex variis unum continet rationem sufficientem cur alterum fit, adest nexus.

§ XIX. Inter principium & principiatum semper est nexus, quando enim unum continet rationem alterius adest nexus, (§ praec.) principium vero continet rationem principiatum (§ XVII.)

§ XX. Limes est id, ultra quod nihil amplius in re quadam conspici licet.

§ XXI. Inter res connexas semper sunt limites, ad omnem nexum enim requiruntur varia (§ XVIII.) unum ex his variis continet rationem cur alterum fit; alterum vero est illud,

lud, in quo continetur; si igitur in altero variorum omnia mihi concipio, quae ex ratione sufficiente concipi possunt, inter res connexas sunt limites (§ XVIII.)

§ XXII. Philosophia est scientia possibilium (§ IV) cum vero etiam quaedam possibilitas dicitur moralis (§ X) ex Philosophia cognoscimus, quid sit moraliter possibile (per Princ. Log.)

§ XXIII. Moraliter possibile & impossibile sunt contradictorie opposita; cum itaque ex Philosophia cognoscere possumus, quid sit moraliter possibile, (§ praec) etiam quid moraliter impossibile illa nos edocet. (per Princ. Log.)

§ XXIV. Moraliter possibile & impossibile dicitur iustum & iniustum (§ XI) E. per Philosophiam nobis acquirimus scientiam iusti & iniusti (§ XXII. & XXIII.)

§ XXV. Jurisprudentia per se considerata, est tantum notitia terminorum quibus Icti vtuntur & legum huius vel illius reipublicae (§ XIII) quando itaque scire volumus an lex sit iusta vel iniusta, hoc ex Philosophia est hauriendum.

§ XXVI. Intelligimus itaque ex Philosophia an aliquid sit iustum vel iniustum (§ praeced) & ideo patet continere rationem Jurisprudentiae (§ XVI.)

§ XXVII. Est itaque Principium Jurisprudentiae, quae illius Principiatum (§ XVII.)

§ XXVIII. Cum inter principium & principiatum est nexus (§ XIX) etiam Philosophia & Jurisprudentia sunt connexa. (§ praec.)

§ XXIX. Inter res connexas semper sunt limites (§ XXI) itaque Philosophiam inter, & Jurisprudentiam etiam sunt limites.

§ XXX. Philosophia & Jurisprudentia per se spectata diversa habent principia; ita enim Philosophiae principium est sana ratio, Jurisprudentiae vero revelatio humana (§ II); & ex
his

his facile patet in quo consistant limites inter has eruditionis partes.

§ XXXI. Extra illud, quam quod ex ratione cognoscimus, nihil in Philosophia nobis concipere possumus, quoniam sana ratio est illius principium, & ideo est limes Philosophiae (§ XX.)

§ XXXII. Eandem etiam ob rationem, quoniam in Jurisprudencia in se spectata, extra illud, quam quod ex revelatione aliorum nobis innotescit, etiam nihil nobis concipere possumus, revelatio humana est limes Jurisprudenciae.

§ XXXIII. Quando itaque hae eruditionis partes, tanquam coniunctae considerantur, facili negotio indicare possumus quae ad Philosophiam, quae vero ad Jurisprudenciam pertinent. Quod enim ex sana ratione cognoscere possumus, ad Philosophiam, quod vero ex corpore Juris vel aliis libris, qui continent leges alicuius reipublicae discere debemus, ad Jurisprudenciam est referendum.

§ XXXIV. Ex his dictis facile elucescit, Jurisprudenciam quando illam consideramus, tanquam coniunctam cum Philosophia recte defini (§ XIV) per: scientiam moraliter possibilem in hac vel illa republica. Quid enim in genere moraliter possibile, cognoscimus, ex Philosophia, quid vero in hac vel illa republica e. g. Romana moraliter possibile ex Corpore Juris Romani est addiscendum.

§ XXXV. Et hoc non obscure etiam indicat IMPERATOR in l. 9. ff de J & J, quando, *Jus civile*, inquit, *est quod quisque populus sibi ipsi constituit, & eo opponitur J G quod ratio naturalis inter omnes constituit & apud omnes aequae custoditur.* Quod enim quisque populus sibi ipsi, ex Jurisprudencia; quod vero ratio naturalis inter omnes, constituit, ex Philosophia cognoscimus.

§ XXXVI. Quoniam exempla rem illustrent, vnicum
B adiici-

adiiciam. Introductis Jure Gentium dominiis, furta ipso iure naturali sunt illicita; ex Philosophia itaque cognoscimus furta esse punienda. Jurisprudencia vero certam furti determinat poenam, quae pro diverfitate rerum publicarum etiam est diverfa; dependet enim a cuiuscunque legislatoris libero arbitrio, qua poena transgressores huius legis in sua republica affici velit, & ita ex hoc vno praecepto philosophico, variae oriuntur leges civiles. Ita apud Haebreos, quibus legem forensem ipse tulerat DEVS, furta quadruplo, aut quintuplo luebantur. Romani restitutionem dupli, tripli, & quadupli furibus iniungebant, quamvis etiam criminaliter J. R. ex furto agi poterat, l. ult. ff. de Furtis, & praeterea furtum destinguiebant, in manifestum, nec manifestum, oblatum, conceptum prohibitum, non exhibitum. Moribus vero nostris actiones in duplum aut quaduplum fere vbique cessant, sed per Const: Criminal. Art. LXII. furum masculorum gula laqueo frangitur, foeminae suffocantur in aquis, vt taceam plures huius poenae determinationes, quae in aliis rebus publicis passim obtinent.

§ XXXVII. In hoc suppeditato exemplo Philosophia & Jurisprudencia concurrunt. Ratio cur furtum est puniendum desumenda ex Philosophia, quoniam nempe per J. G. dominia rerum sunt introducta; si vnum continet rationem, cur alterum sit adest nexus (§ XVIII.) vidimus itaque etiam in hoc exemplo, Philosophiam & Jurisprudenciam esse connexam; vbi adest nexus, adsunt etiam limites (§ XXI) sunt itaque etiam hic limites. Vidimus supra (§ XXXIII) illud quod ex ratione cognoscimus, pertinere ad Philosophiam, quod vero ex revelatione aliorum nobis innotescit ad Jurisprudenciam, & in eo consistere limites, inter has eruditionis partes, haec quando applicantur ad datum exemplum, limites facili negotio cognoscere possumus. Per sanam rationem de furto nihil aliud cognoscere possumus, quam esse moraliter impossibile, & ideo pun-

puniendum, cum vero limes est id, ultra quod nihil amplius in re quadam mihi concipere possum (§ XX) hic est limes Philosophiae. Cognoscit quidem Philosophus posse furtum varie distingui, & potest etiam facile, certam furti poenam determinare, hoc vero libero arbitrio cuiusvis legislatoris relinquit. Caetera pertinent ad Jurisprudentiam, ex illa enim cognoscimus, quomodo furtum distinguatur, & quaenam in hac vel illa Republica poena sit constituta. Ictus Romanus itaque, debet habere notitiam distinctionum furti in manifestum nec manifestum oblatum &c. & fures pro diversitate circumstantiarum, duplum, triplum, vel quadruplum restituere debere.

§ XXXVIII. Consideratis itaque limitibus, quae sunt Philosophiam inter & Jurisprudentiam, ex his dictis etiam non obscure apparet, quantus Philosophiae in Jurisprudentia sit usus. Quam ieiuna enim & sterilis disciplina est Jurisprudentia, quando cum Philosophia non est coniuncta, est enim tantum nuda, terminorum quibus Icti utuntur, & legum huius vel illius Reipublicae, notitia; quam & homo non eruditus, facile sibi acquirere potest, & quae parit leguleios, qui non nisi multarum legum principia vno spiritu recensere, & ad singula Bartolum, Baldum, & nescio quae alia, pudenda seculis nomina, obvertere didicerunt. Longe vero alia & multo praestantior atque serenior est Jurisprudentiae facies, quando coniungitur cum Philosophia, tum enim est scientia moraliter possibilium, in hac vel illa Republica. Quamvis enim quis omnes leges, in illa republica, in qua vivit memoria teneat, hoc tamen non sufficit, potest enim facile emergere casus in legibus non definitus, leges enim ita scribi non possunt ut omnes comprehendant casus, & tum semper ad Philosophiam est recurrendum, vnde os illud Romanorum aureum sapientissimus CICERO in Orat. I. de LL. ea notatu digna nobis reliquit verba: *non a Praetoris edicto neque ex LL. XII. Tab. sed penitus ex intima Philosophia iuris disciplina est haurienda.*

B 2

Sed

Sed de his fatis. Ad id potius me converto, quod huius
 scriptionis est primum atque praecipuum, TIBI enim VIR
 MAGNIFICE, PATRONE AETERNVM COLENDE mag-
 nificum RECTORIS ACADEMIAE munus, gratulari debeo
 & volo. Nihil vero aliud agere possum, quam SVMMO,
 quod omnia regit, NVMINI, sanctas indefinenter allegare
 preces, vt TE, in corrupta corporis sanitate, perpetua animi fere-
 nitate, & exoptata felicitate, in omnibus aetionibus TVIS frui
 concedat; novo & muneri & oneri, humeros accommodanti
 TIBI, novas vires novamque gratiam suffundat; & in totius
 orbis litterati, praecipue nostrae Academiae emolumentum,
 SPLENDIDISSIMAE FAMILIAE ornamentum, & omnium,
 qui TE habent PATRONVM BENIGNISSIMVM, solatium per
 multorum annorum seriem, fospitem atque incolumen confer-
 vet. Ego, quoad spiritus, hos meos regit artus omnes meas
 cogitationes, omniaque consilia eo conferam, vt me
 dignum praestem, quem TVA benevolen-
 tia amplius foveas.



Fc 2184





Fc 2184

ULB Halle

3

005 461 685








B.I.G.

Farbkarte #13

Fr. g. v. num. 138
A. J. J.

DISSERTATIO EPISTOLICA,
DE
LIMITIBVS
INTER
PHILOSOPHIAM ET IURISPRU-
DENTIAM.

P. A.
QVA
VIRO MAGNIFICO,
CONSULTISSIMO EXCELLENTISSIMO
DOMINO
**JOHANNI PETRO
SCHMIDT,**



ICTO FAMIGERATISSIMO DOCTORI ET
PROFESSORI IURIS PVBLICO ORDINARIO,
PATRONO AC PRAECEPTORI DEMISSE
COLENDO,

FASCES RECTORALES

A. O. R. MDCCCXXXVII, d. XXII, OCTOBR.
SOLENNI RITV TRADITAS
FELICES APPRECATVR

DANIEL NETTELBLADT,
PHIL. AC I. V. STVD.

ROSTOCHII,
Typis IOANN. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

F 2184

